M. R. P. Athanasi Kirker.

✠

Pax Xpi.

Lectis aliquot VRae libris, contineri non potui, quin literas istas mei qualiscumque animi indices darem, ut me VRa inter addictissimos vel servos vel amicos numerari sinat. Quam vellem aliquot saltem mensibus tanto uti magistro; interim tamen operibus perfruar, ingenti quoties illa resumo gaudio delibutus. Musurgiam legi, majori tamen cura Artem Magneticam in qua nihil non magnum; Iudicium prudens, Investigatio solers, inventio felix, sapientia profunda, eruditio summa, eloquutio propria et virilis elucent. Epistolae brevitas calamum plura de hac re libere scripturum violenter coërcet. Multa excerpsi, pleraque ad praxim deduxi etsi praevalidi magnetis ope destitutus. Librum globum, et horologium construxi, et quia non adeo magnus nobis familiaris huic consulturus malo, post longam meditationem modum inveni, quo sine magnete eadem machina perfici posset, et ad praxim, non mediocri spectantium admiratione deduxi. Et quia vase pleno, plus aquae decidere dictabat ratio, et experientia comperi, praeter observationem diminutionis, duplici methodo non minus certa, quam jucunda operatione perfeci rem. Alia omitto, quae si vestra Rª ex discipulo audire libuerit, communicare me non pigebit. Maggam Heliotropiam demiratus sum, et ejus dolui corruptionem. Occurrit modus quo intra vitreum globum constituta ab humiditate libera conservari possit. Si Vestra Rª aliquid Maggae habuerit, quam dignaretur communicare, rem expertus, propalarem effectum. Vel saltem semel ac iterum oro, ut ~~[illegible]~~ modum conficiendi et praeparandi illam (si artificiose praeparari possit) vel ~~[illegible]~~ nomen illius mihi socio occultari nolit, ut adhibita diligentia videam an aliquid tum in consequendo tum in conservando proficiam. Secundo impense rogo, ut magnetem aliquem optimae virtutis si possit inveniri VRa emat, et remittat. P. enim Celidonius Arbitius debitum solvet pretium, et ego grates pro tanto beneficio dum vixerim diligenter rependam. Mirabilem Combinatoriam artem refert Bibliotheca Societatis, an vero lucem viderit, prorsus ignoro; unum scio, me illam avidissime expectare, quapropter si jam typis excussa fuerit, quocumque pretio sit, nolit nos VRa tanta arte destitutos. Hic enim P. Athanasi et librorum, et magistrorum inopia summa. Artis Logarithmicae nullam habebam notitiam, quousque calculum tabularum Artis magneticae legi, similibus usus. Vidi postea Neperum, Brigium non inveni: audivi tamen Vengatium, Henricum Wrichit tabulas Logarithmorum edidisse, et Caramuelem alias longe commodiores polliceri, Et novissime P. Bonaventuram Cavalier novam et faciliorem methodum tradidisse. VRae judicium expecto, et tabulas aliquas vel P. Bonaventurae Cavalier, vel cujuscumque Auctoris quem VRa elegerit, et commodissimum judicaverit; praecipue si aliquae in 16. inveniri possint, et Lansbergii sinus circumferentes. Et si V.Rª pro sua liberalitate modum aliquem inveniendi, et fabricandi logarithmos primorum numerorum mihi comunicare voluerit maximi beneficii loco reponam.

Aliud etiam scire desidero a tanto Magistro, quemnam potero Algebrae Authorem evolvere cum fructu, et sine dispendio temporis? Plura omitto, quae dictaret sciendi desiderium, timens ne prima epistola fastidium pariat. Enixe oro VRam ne saltem dedignetur mihi rescribere per hujus Provinciae Aragoniae procuratorem, aliquod habeam solatium in tanta Matheseos solitudine. Deus VRam incolumem servet in Matheseos columen. Vale. Die 1. decembris. 1655. VRae deditissimus servus

Joseph Zaragoza S.I.

P. Athanasio Kirker, e Societate IESV
S. P. D. I.

Roma.